

- stigmatē sessili punctiformi apiculatis terminatum, arctissime clausum. Capsula 6 — 8 lin. longa, 2 — 2½ lin. lata, oblonga, trigona, sulcisque tribus notata, apice obtusissima, quasi truncata et obsolete obtuseque triloba, demum ore circulari truncato aperta, i. e. valvulis tribus subtriangularibus inflexis dehiscens. — Hab. in Natolia ☉? ♀?
1788. RHAGADIOLUS HEDYPNOIS FISCH., MEY. Rh. piloso-hirtus; foliis obovato-oblongis dentatis; periclinii squamis hirtis in fructu conniventibus; achaeniis centralibus pubescentibus. — Species distinctissima, calathidiis *Hedypnoidi* similis, fructibus vero cum *Rhagadiolo* exacte congruit. Calathidia alia lateralia sessilia, alia pedunculo incrassato suffulta. — Hab. in Persia boreali, in Armenia rossica, nec non in provinc. Scheki et Schirvan. ☉
1790. RHAMNUS PALLASII FISCH., MEY. Rh. (*Cervispina*) spinosa; foliis fasciculatis glabriusculis sublinearibus in petiolum stipulis longiorem attenuatis acutiusculis serrulatis; drupis (tricoccis) calycis basi persistenti planae insidentibus; endocarpio cartilagineo libero; seminibus glaberrimis rima notatis margine cartilagineo cincta tota longitudine hiantē, apice appendice (majuscula) inflexa aucta. — *Rh. lycioides* Pall. flor. ross. II. p. 26. tab. 83. (excl. syn. Linn.) — *Rh. Erythroxylo* MB. flor. taur. cauc. I. p. 168. (excl. syn. Willd.), C. A. Mey. enum. pl. cauc. casp. No. 1157. (excl. syn.) — Species fructuum fabrica a *Rh. Erythroxylo dahurica* diversissima. — Hab. in promontorio caucasico, in Iberia, ad mare Caspium, in altioribus montibus Talüs, nec non in Persia boreali.
1791. RHAMNUS SPATHULAEFOLIA FISCH., MEY. Rh. (*Cervispina*) spinosa; foliis fasciculatis oblongo-spathulatis obtusiusculis crenulatis puberulis, petiolo stipulis longiore; drupis (tricoccis) calycis basi persistenti planae insidentibus; endocarpio cartilagineo libero; seminibus glaberrimis rima notatis margine cartilagineo circumcincta, basi aperta, apice appendice (parva) inflexa aucta. — Similis certe *Rh. Erythroxylo* Pall., sed foliis et praecipue fructibus diversissima; in nostra endocarpiū cartilagineum liberum, semina py-